NONNULLORUM RENUM MORBORUM DILUCIDATIO PATHOLOGICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU ILLUSTRIS
MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
BORUSSICA RHENANA

PRO

SUMMIS IN MEDICINA CHIRURGIA
ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

GUILELMUS DEUBEL
WIEHLO - HOMBURGO - MARCANO - BORUSSUS

DIE XXVII. MARTII ANNI MDCCCXXIV.

BONNAE
TYPIS BÜSCHLERIANIS.

Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.

PROOEMIUM.

»Quid grandia molimur tenues et miseri mortales! qui tot lethalibus morbis sumus obnoxii, ut nemo facile illos recensere posset. Nullibi tamen homines magis affligunt quam circa vias excretioni inservientes; ubi si altiores egerint radices, difficillime possunt eradicari. Quotidie ad vitam sustentandam nobis edendum, bibendum, et quod superflum est, evacuandum. Si vero viae hisce operibus destinatae male sint affectae, mors vitae saepius anteponitur ab afflictis.« Haecce praefatus est *Cl. Ruysch* [1]) historiae morbi cuiusdam amici, qui miser ob intestinum rectum incrassatum, scirrhosum maximeque coangustatum morte est erreptus; haecce etiam disquisitioni meae de morbis renum organicis praefari juvat. Morbi conformationis certe sunt, qui magnam hominum copiam saepeque cum assiduis magnisque cruciatibus mor-

1) Tom. IV. Observ. 95. 4to.

ti tradunt, et proh dolor ii sunt, contra quos latius extensos parum valet ars medica, et quibus nonnisi incipientibus saepe obsisti potest. Renes quum itaque etiam organa ad vitam sustentendam maxime necessaria sunt, maxime certe momenti est, illorum morbis occurrere, eos sanare, si adhuc fieri potest, aut initio impedire, quominus radices capiant altiores.

Renum morbi hucusque partim neglecti, partim in tenebris versati, maxime apti dignique sese offerunt, qui ulteriore indagatione fruantur, ut certiori fundamento eorum diagnosis superstrui possit.

Non mireris itaque, me et dignitate et pondere materiei, ad quam elaborandam imprimis et Vir Clarissimus *Nasse*, praeceptor venerandus, me impulit, esse perductum, hos morbos pathologice dilucidandi. Nova quidem invenire nolui, sed tantummodo cognita novis luminibus confirmare enixus sum. Observationes, quae in clinico medico in hac alma musarum sede vigente occurrebant, contuli, et cum aliis hucusque notis comparavi, sperans, fore ut in rem nostram eo aliquid redundare possit.

PARS I.

HISTORIA MORBI PRIMA.

Henricus Weber, aetatis 30 annorum, Duisdorfiensis a stirpe sana adhuc sospite oriundus, robustus, coelebs, nullius unquam iuvenilis morbi sibi conscius, annum 1812 primum pathicae affectionis testatur autorem. — Erupuere per extremitatum superficiem maculae floridae paululum tumidae, minore ambitu circumscriptae, hic sparsae, illic confertae, pruritu, dolore, febre comitibus.

Quae tamen affectio, uti subito exorta, statim post diem elapsum fere omnis impune disparuit. — Anno 1813 apud Francogallos stipendia faciens, quum captivus inde a decima Martii ad vicesimam usque Augusti per diem servitio simul ac miseria urgeretur, per noctem sub divo somnum aegre capesseret, epidemica

febre nervosa correptus, per 4 integros menses aeger procubuit.

Originem inde morbi remoti ille deducit, quod vulnera extremitatum superficialia, quae ictu leviori sibi conciliaverat, et modo conniventia, modo recrudescentia, per ipsum semestre spatium perduraverint. — Eodem anno scabie bis infectus e medicorum moderamine incolumis discedere videbatur. — Quam affectionem utrum antecesserit an subsequuta fuerit dysuria non satis patet. Nimirum illo iam tempore mictui interdum aliqua molestia ac dolor praeiere, quo facto urinae interrupto cursu labebantur. Sed affectio ista nunquam adeo aegroto molesta, ut medicorum imploraret auxilium, neque aucta, neque deminuta per decem fere integros annos perduravit. Nec vero quum psychica vehementissima irritatione sub anni praecedentis initium pungeretur, manifestam statim inde plagam secum tulit. — Elapso fere integro mense saepius quum surgeret; prima sitis insolitae posthac continuae cibique appetitus voracioris vestigia apparuere.

Dysuriam evanescentem, urinae superveniens augmentum aeger iuxta aestimabat. Sitis tantus, ut vix poculo a labris remoto statim

illa recurreret, cui autem potus desiderio minime corporis calor morbosus respondebat. Sudores pedum antea habituales copiosi, non tamen foetidi, tum demum cessavere, ubi primum polyuria siti accederet. Lotii per longum temporis spatium eadem semper conditio. Urina serosa, turbida, coloris pallide virescentis, in ambiente aëre albidum granosum seposuit sedimentum. Urinosi nil odoris, serius demum foetidi. Cutis arida, sudoris impatiens. — Accessere molestas circum praecordia sensus, eructationes frequentissimae putridi ut plurimum saporis, marcor, virium defectus. — Secretiones et excretiones praeter supra dictas ceteroquin immunes. Quae omnia utut magis magisque innotuere, aegrotum impulere, ut primo medicum urbis, dein, quum nil sibi levaminis persentisceret futurum, Clinicum chirurgicum in auxilium vocaret. — Per hebdomadem ibi versatus infusum digitalis sumsit, recluso alioquin vegetabili alimento.

In clinicum medicum translato martialia, gummi Kino aliquamdiu suppeditabantur. — Eadem medicamentorum fuit ratio, dum ab instituto clinico remotus domi versabatur.

Quae tamen super addito alimentorum recto moderamine non ad morbum refraenandum adeo, quàm ad corpus labefactum restaurandum contribuere. Iam vero redeunte habitu toroso urinae eadem semper fuit copia. Nec tamen qualitatem mutaverat, nisi sedimenti, quod iam prius, dum noster in clinico versabatur, evanuerat, respicias iacturam.

Inde a die Octobris decima quinta ad primam usque Novembris gummi Kino unc. β. op. pur. gr. xvi sumsit; quorum tamen in alvinas excretiones vix ulla observabatur actio. Initio Novembris in clinicum redux, post explorationem exactissimam valetudinis atque affectionum pathicarum haecce equidem imago est depincta. Obtulit aeger visui habitum robustum, torosum fere quadratum, faciem satis plenam, e rubro flavescentem, capillum helvolum, pupillam griseam, nec vero ullam aegrotus sensationem molestam accusat. Tussim raram, siccam, ab aetate iuvenili comitem repetendam absque sputorum mucosa dulcedine vix aeger conqueritur. Linguae albescenti sensus quidam ariditatis cum faucibus communis. Eructationibus sapor ingestorum, odoris ex ore nil specificum. Sitis eximia, tamen frigidae

plerumque potu mitiganda. — Appetitus normalis, cutis arida, non squamosa, sudoris expers. — Oculi lacrymantes, arteria satis pleno motu normali aequabili octogesies per minutum pulsat.

Corporis temperies

in fovea axillari . .	25°
in ore	26°
in regione lumbali .	26°

Gaudet aeger somno tranquillo, securo, recreante. Exploratio abdominis per compressionem et autopsiam nil, quod normam excederet, exhibuit. Exploratio Copelandio duce spongia tepida aqua imbuta ob vesicatorium adhibitum institui non potuit.

Animi temperies lenta, secura, metum, anxietatem aeque procul habet. — Ingenii dotes non admodum conspicuae. Sed urinarum natura duplice permutata invenitur ratione.

Per diem noctemque plerumque lib. 6 redduntur. Quae die redduntur urinae, limpidiores, nec adeo pallidae. Specifica gravitas 1008. Igni quum exponerentur, neque odorem suaveolentem exhalabant, neque ad certam spissitudinem redactae multiformem, bruneam vel saccharinam materiam largiebantur.

Ex chemica analysi a pharmacopolo Keller optime instituta hoc apparuit: Urina semper pallida, paululum virescens, serosa, turbida. Lotii normalis odorem specificum abnuens, ni fallor, carnis iusculum olet. Saporem nec acidum nec salitum, cum seri lactis aegrotus comparavit. Lotium sibi ipsi commissum nec vinosam nec acidam fermentationem subire observabatur. Post alterum plerumque diem corrumpitur, odorem urinae putrescentis foetidum spargens, nec vero bullas in superficie natantes, ut equidem conspexi, iusto longius conservat. — Urinarum copia pari relatione cum ingestorum fluidorum copia increscit, semper tamen ingestorum quantitatem exsuperat. Nocte inscio aegroto lotium guttatim delabitur, sed tum demum temporis, cum nimia ipsius copia accumulata fuerit. — Interrogatus aeger, an antequam urinae augmentum persenserit, vomitu aliisque perturbatae concoctionis symptomatibus, denique eruptionibus quibuscunque exanthematicis laboraverit, an ardorem regionis epigastricae, calorem viscerum mordacem, frigoris calorisque mutui iuxta columnam vertebralem frigescentis denique quasi liquoris ex lumbis in pelvim descendentis sensationem,

dolorem tandem ad crura surasque conqueratur, an traumaticae lumborum affectionis meminerit; an equo curruque vectus aut alioquin vehementius permotus dolorem unquam lumborum accusaverit, an coeundi facultatem amiserit, an febre interdum corripiatur, an Veneri Bacchoque nimium indulserit, an cerevisiae vinique e malis parati multum hauserit, an arthriticae affectiones, febris intermittens, haemorrhoides, syphilis praeierint, cetera expressis verbis repetitoque discrimine negando respondit:

Nunquam sese potui spirituoso indulsisse, cerevisiae tum demum plurimum sese addixisse, post ubi malum ad maiorem iamiam gradum accreverit. Si negativam symptomatum pathognomonicorum imaginem exposcas, inflammatio praeputii, phimosis, caseosae cuiusdam circa penis glandem materiei secretio, dysuria, gingiva rubida, dentes laxi et hebetes, lingua rubro-marginata, vox rauca, debilis, palpitatio cordis, flavus crurum color atque surarum, aliaque multa, quae explorari necessaria visa sunt, plane desunt.

Dr. Müller, cui hic aegrotus in clinico medico nostro curae mandatus, ex anteceden-

tibus symptomatibus hydatides renum suspicatus est, et inunctiones mercuriales institui suasit. Quae autem frictiones per aliquot tempus adhuc omissae sunt, usque dum supra ossium pubis symphysin apparuerit tumor, haud manifestum fluctuationis tactum praebens. Sed hic tumor gravis momenti non est habitus. Inunctiones mercuriales antequam propositae nunc adhibitae sunt et quidem per longum tempus continuatae.

Quatuor hebdomades ante mortem aegrotantis, circiter mensem integrum post frictionis hydrargyrii curam, et quidem infaustissimis inde sequelis, quae metastaseos in cerebrum excitaverunt metum, peractam, pluries aegrotus visitatus est. Cui quidem ruri viventi et quamquam tam eius muneribus fungenti, quam cibis utenti, omnia nihilominus mercurialis inunctionis symptomata exstincta reperta sunt; et hoc tempore in omni corporis habitu sanus apparuit, quam eum nunquam vidimus; quippe omnia symptomata, nominatim vesicae urinariae tumor in eodem paene statu, ut ante inunctionis curam inveniebantur.

Laudatissimorum remediorum fons exhaustus. Affectio manifesta vesicae etsi haud erat

essentialis, ureterum dilatatio credita nos ad iniectionum ex aqua calcis usum adduxere, quas ut aegrotus imitaretur semel modo et sine molestia instituimus. Quoties posthac instituerit aegrotus, nos fugit. Aegrotus noster et paene visibili modo repentine emaciabat; urina hucusque limpida, nunc lactea, purulenta, cum granoso sedimento fluebat.

Postea vix erat cognoscendum, an emaciatio ultimo momento praecesserit. Aegrotus sub omnium excretionum augmento defunctus est.

Sectionis cadaveris Henr. Weber in diabete aquoso defuncti enarratio.

Cadaveris sectio 36 horas post mortem instituta, corporis habitus consummatus et contabefactus erat. Abdominis solum cavum aperiri licuit, in quo intestinorum situs normalis et nullibi exsudationes inveniebantur.

Ventriculi membrana mucosa laxa et nigrorum parvulorum punctorum copiam haud abstergendam continebat, in nonnullis adeo eius locis inflammationis vestigia reperiebantur. Intestina iisdem etiam punctis inspersa nullibi inflammata, sed in aliis locis, colore albo de-

notatis, incrassata conspiciebantur. Intestinum amplum lumine non superavit intestina angusta, omni modo aequale sine diverticulis. Ultimorum contenta fluida, faeculentum et pestilentialem odorem spirabant.

Omni ratione hepar et bilis vesica normalis, lien iusto maior, ceteroquin sanus.

Vesica tactu fracida, impleta, circuitu magis globosa quam ovalis, magis lata quam longa, normalis alias voluminis occurrebat.

Ureteres urina tumebant, lumen eorum pollicis dimidii diametrum continebat, et, ut videbatur, eadem spissa materia infra describenda impleti erant.

Renes digitis eundem tactum praestabant, tamquam saccus impletus, facies externa talis, qualis pinguetudinis sordidae.

In vesicae exploratione exactissima eam cum consistenti granoso pure omnino aequaliter effusam, texturam eius cartilaginosam nec ullum membranarum singularum eius vestigium et discrimen, parietum crassitudinem adauctam inveniebamus. In superficie eius interna magna conspiciebantur tigilla ligamentosa crassitudinis circiter 2‴ — 4‴ elata, clara, nitentis, ten-

dinosae speciei, irregulariter divergentia et ita reticulatam irregularem speciem offerentia.

Quorum vero structura talis erat, qualis exsudati fibrini.

Ureteres iidem ut vesica incrassati; nonnullis attamen in locis propria tunicarum textura non alienato videbatur. Nec non membrana mucosa nonnullis in locis detegi et usque ad renum pelvim investigari poterat. Laevi autem ureteris structura minus occurrebat morbosa. In medio eius ad pollicem integrum locus coarctatus ita erat, ut tamen volumen minutum vix appareret.

Massa obstruens organica cum ureteris tela coniuncta, neque supra neque infra hunc locum tumor animadvertebatur. Ureteres magno hiatu libere in vesicam inosculabantur. Structurae sanae et partium organicarum in renibus nullum vestigium cognosci poterat. Tubuli uriniferi Bellini deleti itemque fimbriatae conicae striae et papillae renales.

Renum cavitates ubique connexae, speciem et structuram spongiae cortice tenui obductae prae se ferebant. Tota tela pure omnino infusa et ambo renes hac in re paene similes reperiebantur.

Ex qua sectionis historia patet:

1) totam urinae copiam a renibus minus secretam, quam passivo modo excretam fuisse.

2) Diminutam quantitatem urici in hoc casu cum deleta renum structura connexam fuisse.

3) Urinam in vesica accumulatam sine impedimento in ureteres ascendisse. Qua ex causa etiam declarari potest enormis eius copia, catheteris ope semel evacuata, quae pondus librarum duarum efficiebat. Vesica extensionis passivae impos, circiter quantitatis huius dimidium complectebatur.

4) Urinam modo musculorum abdominalium ope ex viis uriniferis, nimis impletis, sed tantum partim depleri.

5) Urinam in situ corporis horizontali nolenti promanantem (phaenomenon primo intuitu et sine sectionis adumbratione omnino inexplicabile) sine dubio inde effectam fuisse, quod vesica et ureteres, urina tam extensi, in hoc situ in nervos sacrales premerent, quo vesicae musculos (imprimis vesicae sphincterem) in statum paralyticum esse positos necesse est (quod

symptoma saepius in graviditate observamus).

In situ erecto hic pressus vesicae in nervos sacrales deerat, qua ex re urina involuntarie non promanabat.

MORBI HISTORIA SECUNDA.

Joh. Joseph. Lachei, Joseli natus, 17 annorum, debili et scrofuloso corporis habitu, iuventutem sanus degit; hucusque nullo morbo peculiari vexatus, nisi ante sex annos scabie infectus esset, quae vero apta cura mox extincta est, ita ut nunc aegrotus sanus et sospes viveret.

Attamen eius valetudo non diu firma remansit, ideoque semestri hiberno 1821 in clinicum nostrum medicum receptus est cum iam a morbi initio, quod vere antecedente intraverat, policlinicum visitasset.

Vere enim supra dicto patiens primo graves dolores et borborygmos in abdomine sensit, qui autem paucis post diebus evanuere. Idem phaenomenis his fugatis dysuria vexabatur; simulac vero urinae copia in vesica accumulata est, dolor et mingendi nisus ortus est.

Manibus urinae defluxus premi poterat; attamen tenui nisi radio et haud sine doloribus. Tali sub conditione per aestatem se habuit morbus, pedetentimque grassari coepit.

Tempore ultimo urinam nonnullae guttulae muci luteo colore secutae sunt, puris speciem referentes; et aegrotus interdum urinam sanguinis nonnullas guttas consecutas esse enarravit. Simulac lotium omne evacuatum erat, mox desinit dolor tunc temporis modo rediens, si magna copia urinae in vesica aderat. Inter labores graviores aegrotus continuo dolore vexatur, urina autem neque muco neque sanguine permixta, sed turbida redditur, quae si tempus aliquod haud movetur, sedimentum demittit. Quantitas eius generalis normalis, sed non nisi interrupta et inde iterata vice emingitur; tunc urethra dolet, et lotii radius nunquam interruptus cursu rectus apparet.

Pressu digitorum supra et pone symphysin ossium pubis illato dolor exoritur ad perineum autem et urethram minime extensus. Aegrotus noster an onaniae deditus fuerit rogatus, altera alteraque vice incerte et perturbate respondit; nec non facies eius sceleris huius vestigia manifestat.

Urinam insequentes luteas mucosas guttas semen esse non posse, odor et aspectus satis docet. Aegrotus morosus et tristis, per totum diem lecto et somno se paene committit. Genitalia externa haud marcent, imo potius turgore vitali satis praedita apparent. Testes sani, pressione minime dolorifice afficiuntur; scrotum autem aliquomodo sudore madet.

Praeterea patiens haud multis vexatur molestiis, coenaesthesis hucusque integra, caput pectusque libera, appetitus, concoctio, excretio alvina normalis, lingua munda, cutis transpiratio sana, pulsus paulisper irritatus, in ceteris autem naturalis.

Primo (12 Octobris 1821) hoc malum originem ex onania duxisse, putavimus, qua propter praescriptum est: R. Camph. scrupul 1 Gummi arab. drachm. 1 Sacch. alb. drachm. 2 M. f. pulv. S. per diem mane et sub vesperam duodecimam pulveris partem sumendam. Post horum remediorum usum dolores in vesicae regione diminuti sunt, praeterea autem mutatio nulla sentiri poterat. Nunc porrectum est R. Camph. scrup. 1. Tart. dep. drachm. 2. Gummi mim. drachm. 1. Sacch. alb. drachm. 2. M. f. pulv. S. ter per diem cochlear. parvum. Quibus quam=

quam per aliquod tempus porrectis, nullum tamen aegrotus consecutus est levamen.

Nunc autem colli vesicae urinariae inflammationem adesse ex symptomatibus insequentibus concludere licuit:

1) ex dolore a pressu supra symphysin ossium pubis exorto.
2) ex dolore mictum antecedente et insequente.
3) quia mucus aut pus, si movebatur corpus, cum urina commixtum mingebatur, tranquillo autem statu paucis tantum in guttis urinam secutum est.
4) Quia quandoque et sanguis cum urina reddebatur.
5) Quia urinae radius tenuis apparuit.

Cura itaque antiphlogistica instituta atque porrecta est emulsio cum nitro depurato, ad perinaeum hirudines applicatae, et regioni pubis cataplasmata emollientia imposita sunt; postea iniectiones ex aqua vulneraria Thedenii cum lacte, porro per aliquod tempus acidi borussici Kelleri (guttis xx. in aq. destillatae unc. 3 solutis) institutae sunt, denique et aqua calcis vesicae iniecta. Per os per longum tem-

poris spatium hausit aquam calcariam, postea tincturam gummi Kino.

Quo facto et setaceum in regione pubis institutum et unguentum tartari stibiati illinitum est. Unguentum hydrargyrii cinerei perinaeo ita infrictum est, ut salivationis signa inde apparerent, sed frustra!

Exploratione vesicae catheteris ope repetita vice instituta Cl. *a Walther* imprimis vesicae urinariae collum coarctatum et degeneratum invenisse putavit, quod exploratio locum scabriorem distinguere licuit. Iniiciebatur nunc vesicae aqua fontana destillata, relicto in urethra cathetere. Sed iterato hoc regimine tam gravis exortus est dolor, ut hanc curam abrogare praestaret. Nunc febris hectica in dies gravior, sudores nocturnis cum doloribus saepissime et pectus imo invadentibus, passiones inter urinam reddendam multo vehementiores exstiterunt et urina emissa crassum puriformeque sedimentum offerebat. Dolores usque ad lumborum sinistri lateris regionem extendebantur. Consummatione magis magisque aucta, aegrotus postremo nunc emulsionem arabicam, nunc decoctum lichenis islandici sumsit.

Cum autem febris hectica maximum gradum adtigisset, patiens mortuus est.

Sectio cadaveris.

Octodecim horas post mortem, cadaveris sectio instituta est. Corporis consumtio permagna, eius color subflavus fuit, absentibus, ut sunt mortuorum, maculis.

Corporis tria aperiebantur cava, et quidem:

1) *capitis*, ubi tam cerebrum et cerebellum quam eius membranae normalia, in ventriculo laterali dextro paululum liquoris effusa reperta sunt.

2) *thoracis*, in quo pulmo dexter nonnullis in locis cum pleura concretus, magnus, in aliis induratus, color eius naturalis autem in rubicundum mutatus erat, pulmo sinister omnino integer occurrebat; in pericardio, quum aperiretur fluidi, subflavi, albi, pellucidi circa uncias duas reperimus.

Cor magnum, ceteroquin normale, in ventriculo dextro sanguinem nigrum et coagulatum continebat. Cordis foramen ovale omni ambitu clausum, etiamque in vasis

sanguiferis nulla mutatio morbosa observata sunt.

3) *abdominis*, quod situm intestinorum normalem nec ullibi exsudationes vel ventriculi et intestinorum alias alterationes nec cuiusvis status morbosi vestigia offerebat.

Bilis vesica pollicen fere supra hepatis marginem inferiorem prominebat, et quomodo videbatur bili normali impleta erat.

Lien et pancreas omnino uti in statu sano conspiciebantur, minime autem organa urinaria.

Ren dexter tam quoad speciem externam, quam in diligentiore perscrutatione normalis inveniebatur; sinister autem, visu pallidus, magnitudine longe dextrum superabat, et in dissectione strepitum edens magnam flavi, subalbidi et foetidi effluentis liquoris copiam offerebat: eius substantia multis in locis cartilaginosa, in aliis excavata, in horum cavis similem saniem continebant, qua praecipue et calices impleti reperiebantur.

Omnis ductus sinister urinalis crassitudinem digiti parvi habebat, et non minus quam renis substantia ipsa cartilaginosa erat, membrana autem interna destructa. Nec non vesi-

cam urinariam, uti ex signis diagnosticis exspectatum erat, coarctatam et eius structuram morbose commutatam inveniebamus. Vesicae collum crassum, tactui insignem duritiem offerebat. Membrana interna vesicae ipsius in latere sinistro dura, inflata, scabra et destructa erat, et plures in ea observabamus impressiones, tam maiores quam minores, nec non alios locos elatiores. Membranae internae desorganisatio usque ad caput gallinaginis se extendebat, ubi conditionem normalem referebat.

HISTORIA MORBI TERTIA.

Peter Stemmeler, annum quadragesimum secundum agens, et morborum puerilium immemor, adolescens aurigae munere victum sibi paravit. Sed pro dolor, hoc munus ei male conveniebat; et ludo et Baccho deditus, de palpitationibus cordis, cum tali vitae genere exortis et quamquam satis molestis, parum sollicitus erat.

Mense Novembris anni 1822 tandem inflammatio renum gravissima quum subito accesserit, aegrotus venae sectionibus, ut videbatur, valetudinem recuperavit. Quatuordecim die-

bus exinde praeterlapsis, dyspnoea attamen sine inspirationis dolore eum comprimere coepit, cui malo nonnunquam tussis cum sputo spumoso, cum sensu anxio et cordis palpitationibus sese coniunxit.

Cordis quemadmodum vero pulsus irregularis, interdum turbulentus, ita et arteriarum inaequalis et saepissime interrumpebatur.

Quippe qui quum scalas ascendere coepisset, lipothymia et respirationis difficultate suffocatus nonnumquam ita est, ut subito consistere cogeretur.

In lecto iusto altius cubare debuit, et sedere modo ei licuit, corpore antrorsum inclinato. Urina parca, fusca, turbida cum sedimento lateritio, sine ulla molestia excernebatur.

Alvi exoneratio pro edendi cupidine rara, eo acrior sitis; in caeteris aegrotus corpulentus et abdominis admodum crassi observebatur.

Aegrotus sic constitutus in clinicum medicum Bonnense receptus, et eius morbus ex tali rerum conditione pro hydrope pectoris ex vitio organico cordis exorto habitus est.

At paulo post gravis pressu increscens in regione sinistra lumbali dolor exstitit, qui paene in toto abdomine extensus, imprimis in sinistro latere saeviebat.

Hoc pathema pro peritonitide diiudicatum, cura apta, cucurbitularum scilicet chirurgicarum applicatione, unguenti hydrargyri cinerei illinimento et calomelae cum hyoscyami extracto usu interno infractum est.

Vix autem hac inflammatione remota, pristina pectoris affectio, quae per inflammationis decursum exstincta visa est, sensim sensimque denuo emicuit, et, ultimis inflammationis vestigiis omnino deletis, priorem nobis offerebat rerum conditionem.

Abdomen nunc etiam intumuit, summa cum aegroti molestia; et quamquam fluctuatio sentiri vix poterat, pedes tamen et surae itemque et scrotum pedetentim tumore oedematoso occupabantur. Interdum et vomitus, iam antea aggressus, accessit.

Pulsus saepius quam antea et haud raro tertio quovis ictu intermittebatur. Tandem aegrotus, dyspnoea et desperatione valetudinis haud recuperandae incitatus repetita vice at frustra mortem sibi inferre tentavit, et sub

symptomatum hydropis pectoris, cum vitio cordis organico coniuncti, incremento defunctus est.

Cadaveris dissectio.

Ob capitis affectionum omnem defectum et pectoris affectuum gravitatem nonnisi thoracis cavum est apertum.

Sacci pleurae magnam copiam fluidi serosi continebant, pulmones autem normales conspiciebantur. In pericardii cavo tantam modo liquoris copiam, quantam in statu sano, observavimus: membrana eius interna admodum rubila, sed neutiquam ruborem inflammatorium offerebat. Ad cordis magnitudinem, texturam, formam et colorem, omnia reperiebantur normalia.

In abdominis cavo peritonaeum normale videbatur, et in eo nusquam inflammationis alicuius praeteritae vestigia investigari poterant.

Ventriculus, intestina angusta et ampla, statu erant sano, item hepatis magnitudo, color, structura, nec non vesica bilis et pancreas sana haberi poterant.

Lien summo in gradu et ita extensus erat, ut eius volumen quinquies fere statum norma-

lem superavit. Tactui fluctuationem offerens et superficiei stomachi posteriori adhaerens saniem in conspectum edebat rubro-brunneam, consistentiae puris tenuis.

Principia huius materiei chemica parum ab iis sanguinis discesserunt.

Ren sinister permagnus, in superficie inaequalis, et massam adiposam formabat. Ureterum formam normalem conspeximus, et vesicam urinariam minime a statu sano abhorrentem.

MORBI HISTORIA QUARTA.

Sibilla Willems, nupta Schütz, Ahrovillensis, annum agens quinquagesimum secundum, quarto Augusti die 1821, cum fabarum carptura occupata esset, saepe se in hoc munere protinus inclinare coacta, et tali cordis pulsatione et respirationis angustia invasa est, ut lente et gradatim modo redire domum potuerit. In examine medico, retulit: se ante tres circiter annos et dimidium, cum forte saccum farina impletum sustulisset, vehementem dolorem in dorso sensisse, post dimidiam quidem horam diminutum, nunquam vero omnino

cessantem, sed potius cum molesta vix clarius describenda sensatione exinde perdurantem. Tres autem menses post illam corporis contentionem cordis palpitationem accessisse, haud tamen molestissimam et in quieto corporis statu desinentem.

Anno circiter integro exinde praeterlapso, cum tempore vespertino in cella subterranea doliolum, cui infuerit oleum, allevasset, se magnos nunc subito dolores in regione renis sinistri percepisse, cum vero eos rheumaticos credidisset, sacco cineribus fervidis impleto insedisse; quo facto tempore matutino dolores evanuisse.

Ante quinque paene menses palpitationem cordis primum eam aggressam esse e. g. post coenam, aut si scalas ascendisset, aut in lectum se contulisset. In ultimo hoc statu vehementes cordis pulsus, interdum ictibus conquassantibus haud dissimiles, non numquam per plures horas somnum non permisisse, aut etiam cordis malum eam tali cum sensu, tanquam culter in corde pungeret, subito e somno excitasse.

In praesente autem hicce inveniebatur aegrotae status: Corpus emaciatum, cutis sicca

cum epidermide taliter rupta, qualiter in desquamationis periodo scarlatinae videtur; sinistri oculi coniunctiva admodum rubila; pupillae maxime dilatatae; status animi anxius et adflictus; somnus inquietus et terribilibus imaginibus interruptus; appetitus ciborum nullus; ructus vehementes et frequentes; pertinax obstructio alvi; tremor cordis extensior, conquassans. Cordis vero pulsationes inferiorem pectoris versus partem usque ad decimam costam, interne usque ad ventriculi regionem et profundius imo sese extendebant. Pulsus fuit durus; plenus et lentus. Sinistro solo in latere aegroto cubare poterat. In regione renum sinistra dolorem constantem pungentemque nec non ad spinam ossis Ilei eiusdemque lateris usque extensum questa est.

Post urinae parcae, turbidae et rubicundae quamlibet emissionem, semper spasmus cum dolore in vesicae sphinctere restitit; quo spasmo cessante urinae nonnullae guttulae profluebant.

Octava circiter pars urinae muco et pure constitit, qui mucus in floccis fluido innabat, dum pus tanquam alba, permixta et incohaerens massa, aequale constituebat sedimentum.

Tempore matutino et post meridiem patiens febre hectica cum talibus doloribus in abdomine ita cruciata est, ut desperaret paene.

Duos menses ante mortem ipsius sinistra et superior palpebra non amplius clausa est, sed arctissime contracta per diem et noctem patebat. Si autem foemina in solis aut lampadis luce dormire vellet, lucis introitus multivarias species ei excitavit, quas miris somniis et fictionibus inter se coniunxit.

Hebdomades sex ante eius mortem tussis, cum sputo crasso et tenace, oedema pedum et ascites exoriebatur, Foemina die decimo Iulii 1822 levibus cum deliriis in latere sinistro cubans, et respiratione stertorosa defuncta est.

Sectio cadaveris.

Quo ad habitum generalem omne defunctae cadaver pinguedine plane orbatum inventum est.

Pectoris cavo aperto cor ab anteriore retrorsum compressum se offerebat, et iusto ter maius. Pericardii membrana extensa, facile disrumpebatur et parvam modo aquae copiam continebat. Sulci septi cordis, in statu normali in eius superficie conspicui, omnino de-

erant. Traheculae carneae et musculi papillares praeter consuetudinem extensi, tenues, et quale cor ipsum rubeolo colore offusae; et septum ventriculorum eiusdem inveniebatur conditionis. Ventriculus cordis sinister dextro multo maior nec nisi tenuissimae parietum compagis, cor autem omnis sanguinis expers.

In respirationis organis a trachea usque ad infimas bronchias mucus adfuit tenax et summopere ei adhaerens. Sub origine arteriae mesentericae superioris, cuius lumen maxime auctum se obtulit, aorta descendens ita in saccum extensa erat, ut huius longitudo diametrum pollicum 1 $^1/_2$, latitudo transversa pollicum 2 $^1/_4$, et altitudo ab anteriore nimirum retrorsum pollicum 2 $^1/_2$ contineret.

Huic sacco sanguis niger coagulatus inerat. Paries vero huius sacci posterior ossificatus et permagna arteriolarum copia cum corporibus subiacentium vertebrarum dorsi tam coniunctissime concretus apparuit, ut massam homogeneam formarent, quae tantum cultri ope separari potuit. Confestim infra hunc saccum arteriae renales, in quolibet latere simplices inceperunt, dextra crassum truncum, sinistra ligamentum rotundum ex membranis condensa-

tis compactum referens, cuius cannaliculus non nisi acum textoriam admittebat. Ramificationes eius ante introitum in renis hilum eiusdem inveniebantur conditionis, sed omnimodo clausae.

Ren sinister cum succenturiato minimus, substantia eius corticalis contracta, marcida, pinguedo et tela cellulosa huc pertinens soluta erant.

Fasciculi pyramidales, papillae et calices renales sanie foetida, qua pelvis desorganisata renalis erat impleta, destructa erant. Ureter huius lateris coarctatus, et vestigia eiusdem saniei ostendebat, quam in renum pelvi invenimus. Partes organicae renis dextri omnes amplificatae et dilatatae erant. Ureter huius crassitudinem digiti minimi aequabat, et diametrum consentaneum offerebat.

Urinaria vesica circiter uncias duas urinae cum ichore mixtas, fellea vesica calculum continebat. Omnia intestina absque ullo morbo conspiciebantur.

PARS II.

CAPUT I.

Casuum horum dilucidatio, eorumque cum casibus iam prius observatis comparatio.

Observationes supra relatae vario respectu cum observationibus, iam prius litteris traditis quoad symptomata partim conveniunt, partim ab iis abhorrent.

Sexus discrimen vix ullum hosce morbos intercedere, quoad aetatem autem eiusmodi morborum opportunitas praecipue aetati virili seu senectuti incipienti propria esse videtur.

Quod et *Th. Sömmeringii* [1]) celeberrimi confirmat sententia, pueritiam praeprimis ad capitis, iuventutem ad pectoris, aetatem virilem

1) Abhandlung über die tödtlichen Krankheiten der Harnblase und Harnröhre bei Männern im hohen Alter.

ad abdominis, senectutem denique ad pelvis organorum morbos prae caeteris propendere.

Temperamenti et climatis status, cum in historiis nostris, tum et in casibus ab aliis medicis observatis, quatenus ad hunc morbum aliquid conferat, nulla ratio est habita.

Corporis universa constitutio tam in observationibus nostris, quam in aliorum observatorum plerunque robusta [1]), certe non debilis occurrit, una tantummodo excepta aegrota tenera [2]) et altera debili-scrofulosa [3]), quae hoc morbo laboraverunt.

Observationum teste ren dexter, quam sinister nec non ambo simul affecti reperiuntur.

a) Primum quod a plurimis observatoribus, nec non minus in casu nostro secundo,

---

1) Morb. hist. prima. Huf. Journ. der pract. Arzneikunde, 6. B. 3. St. p. 87. Horns Archiv für med. Erfahrung, 2. B. p. 122.

2) Baldingers Neues-Magaz. für Aerzte, 3. B. 6. St. p. 537.

3) Morb. hist. secunda. v. etiam Lectures on the structure and physiology of the male urinary and genital organs of the human Body etc. by James Willson, London 1821. p. 281.

tertio et quarto memoratum sit, symptoma est dolor in renum ambitu, imprimendo auctus.

Qui dolor in casu tertio peritonitidis imaginem prae se ferens, praecipue in regione lumbali sinistra saeviebat.

In aegrota historiae quartae dolor perpetuo durans et pungens tantummodo regionem renalem sinistram occupavit. Omnino defuit dolor in casu a *Ruffio* [4]) relato, sicut et in casu nostro primo. Cl. praeceptor *Nasse* [5]) dolorem abdominis sub digito premente vehementissime auctum, minus autem in inferiore quam superiore abdominis dimidio, praecipue in hypochondrio sinistro observavit. In casu a Schmidtmanno [6]) descripto aegrota dolorem in regione umbilici vehementem et urentem, praecipue sub alvi exoneratione sensit. Forsan et verisimiliter quoque a pancreate, ab ileo, a vesica urinaria, utero et recto, quae omnia in sectione disturbata reperiebantur, dolor ille

---

4) Huf. Journ. der pract. Arzneikunde, 6. B. 3. St. p. 91.

5) Nasse's Leichenöffnungen erste Reihe, pag. 124 u. ff.

6) Huf. Journ. d. pract. Arzneik. B. 7. St. 4. pag. 21 - 22.

derivendus sit. *Völker* [7]) enarrat, aegrotum ne per quadrantem horae quidem erectum stare potuisse, quin dolor in regione inguinali dextra adfuerit, nec nisi sedendo aut cubando hunc esse minutum. Aegrota Doctoris *Merkii* [8]) semper dolorem dorsi et gravissimam inde exortam difficultatem corpus deorsum inclinandi questa est.

b) Nec minus memoratu dignus est dolor in emittendo urinam, molestissime urens, sed in variis locis observatus, modo in regione renali et urethrae, modo in aliqua vesicae urinariae parte, imprimis vero eius in colli ambitu, uti Schmidtmanno [9]) v. g. in collo, *Völkero* [10]) in regione inguinali dextra occurrit.

Erdmann [11]) impetum vehementem ad urinam emittendam, doloribus vehementibus coniunctum, absque sede singulari observavit. Cl. *Nasse* [12]) dolorem sub mictu in regione renali, nec non dolorem urentem in urethrae

---

7) Horns Archiv für med. Erfahrung, 2. B. p. 124.

8) Blumenbachs Med. Biblioth. 1. B. p. 531.

9) Huf. Journ. l. c. p. 22.

10) Horns Arch. l. c. p. 124.

11) Id. 6. B. 2. Heft p. 333.

12) Leichenöffnung l. c. p. 124.

parte anteriore animadvertit. *Ruff*[13]) nil nisi stranguriam per annum unum perdurantem retulit. *Merk*[14]) autem impedimenti molestiaeque in urina reddenda torminibus coniunctorum mentionem facit; nec non aegrotus eius tam stando quam incedendo et cubando dolore in vesicae urinariae collo torquebatur, sed haud prius quam ad urinam reddendam aut alvum exonerandam inclinaretur.

Dysuriam et stranguriam in ischuriam transiisse, commemorat *D. v. L.*[15]).

In morborum, quos supra memoravi, casu primo, initio dysuria, quae serius evanuit, occurrebat; in secunda autem dysuria cum dolore, praecipue dum urinae copia in vesica urinaria accumularetur; in historia denique tertia ille dolor in urina reddenda omnino defuit, qui vero in aegrota historiae quartae maiore cum impetu ad vesicae urinariae collum usque extensus sese manifestavit.

c) Nonnulli urinae emissae radii crassitudinem nec non quantitatem a statu normali

---

13) Huf. Journ. l. l. pag. 88.

14) Blumenbachs Med. Biblioth. l. c. p. 531 - 34.

15) Huf. Journ. 1. B. 1. St. pag. 114.

decedentem reperierunt: *Nasse* [16]) radium tenuem semperque minorem urinae copiam vidit. Aegrotus *Völkeri* [17]) saepe, sed perpetuo tantummodo parvam urinae copiam reddidit. Aegroti, quem *Merk* [18]) tractavit, urina tarde stillavit. Aegrotus, de quo in prima nostra historia sermo fuit, nonnisi interdum urinae emissae radium interruptum obtulit.

In altero aegroto urina per pressum radio tenui similis evacuari poterat, in quarto maxime sparsa reddita; in caeteris casibus nihil, quod huc pertineat, notatu dignus occurrit.

d) Urina reddita, in conditione et specie externa non semper fuit eadem, pluries cum sanguine commixta, tum pura et copiosa [19]) porro nonnisi sanguinis colorem prae se tulit, simul particulis sanguinis coagulati minoribus, etsi absque dolore [20]) emissis. Praeterea urinae copia minor cum floccis ex albido-fuscis, in et super natantibus, cum particulis purifor-

---

16) Nasse's Leichenöffnung, l. c. p. 125.

17) Horns Archiv, 2. B. p. 126.

18) Blumenbachs Med. Biblioth. l. l. p. 532.

19) Erdmann in Horns Arch. l. c. p. 334.

20) Völker, Horns Arch. 2. B. p. 123.

mibus et muco extensibili observata est [21]). In casu alio urina lactis instar et luteiformis fluebat, in qua flocci minimi albi, quoad colorem et speciem floccorum nivis instar, in vasis solum decidebant; ita ut urina, quasi in ea ninxisset, speciem praeberet.

Paucis horis elapsis, sedimentum crassitudinis digiti transversi niveum, compactum inventum est; reliqua urina in superficie cute pinguinosa multicolori, huc et illuc ut parvis olei guttis intermixta, obtecta. Quo modo in casu *Baldingeri* urina nonnisi post medium noctis et imprimis hora matutina post somnum normalis reddita sit, dum alias et quidem totum per diem perpetuo cum sedimento descripto fluerit, supra narratum est. In alio casu [22]) ex pallido-fusca erat, tum plus minusve fusca sine sedimento, quantitate normali [23]).

In prima morbi historia urina, cuius analysis chemica instituta est, pallida, turbida, aliquanto viridior reperta est; in secunda ra-

---

21) Schmidtmann in Huf. Journ. l. c. p. 29.

22) Nasse's Leichenöffnung l. c. p. 124.

23) Ruff in Huf. Journ. l. c. p. 91.

dius tenuis et urina turbida, pallida, sedimentumque, guttis nonnullis fusis, puriformibus et sanguinolentis interdum sequentibus, in casu tertio urina subobscura, sparsa, turbida cum sedimento lateritio adfuit; denique in quarto etiam sparsa, turbida, rubida occurrit, dum pars eius circiter octava ex muco et pure et floccosa illa materie mixta constitit, cum sedimento aequaliter formato. *Merk* [24]) urinam fuscam cum floccis carneis, qui facile conteri poterant, mox autem in sedimentum copiosum coibant, animadvertit.

e) Nonnulli in renum ambitu observaverunt tumorem, neque vero semper eodem in loco. Abdomen in latere dextro saxi duritiem, ex hepatis regione incipientem obtulit [25]). In *I. Ruffii* [26]) aegrota, dum situ horizontali, cruribus adtractis accurate exploraretur, sub abdominis integumentis in regione intestini ilei satis notabilis tumor, acute circumscriptus, superficiei inaequalis, crassitudinis pugni observabatur. Aegrota iam ultra annum integrum

---

24) Blumenbachs med. Biblioth. l. l. p. 124.
25) Völker in Horns Archiv l. c. p. 125.
26) Huf. Journ. 6. B. 3. St. p. 91.

huncce tumorem, nusquam molestum detexerat, de eius incremento aut decremento autem nihil proferre sciebat. In casu a *Schmidtmanno* [27]) relato abdomen a régione umbilicali usque ad ossa pubis tumidum et durissimum fuit. In casibus in *Hornii* diario, a *Śtollio* [28]) et *Nassio* [29]) relatis, nullus observatus est tumor. Ultimus attamen intumescentiae universalis fecit mentionem.

f) Nonnulli etiam aegroti capitis affectibus laboraverunt e. g. citatus in *Hornii* diario, qui in cura *Völkeri* erat, doloribus capitis periodicis, post quamvis hebdomadem quartam redeuntibus semperque horas viginti quatuor perdurantibus et tum desinentibus tortus est. Dr. *Erdmann* [29]) capitis dolorem diuturnum memorat; in casibus reliquis nusquam dolor negatus est. In bibliotheca medica *Blumenbachii* nonnisi de capitis debilitate dictum est.

g) *Schmidtmann*, *Völker*, *Erdmann*, *Baldinger*, *Ruff* sicut et nos in historia morbi

---

27) Huf. Journ. l. l. p. 21.

28) Stoll ratio med. Sec. III. p. 385.

29) Nasse's Leichenöffnung l. c. p. 124.

30) l. c.

secunda observavimus vomitum, quin autem vomitu evacuati gustus et conditio adnotata sit. In aegrota quarta nostra ructus crebior et vomituritio, nec non in *Merkii* aegrota aderant.

h) De gustu in omnibus casibus hocce redditum est: apud *Schmidtmann* fuit purus [31]), apud *Völker* plerumque purus [32]), apud *Stoll* amarus [33]), apud *Nasse* item [34]), apud *Ruff* nauseoso-putridus [35]).

i) Defuit appetitus ubique, excepto casu a *Schmidtmanno* in *Hufelandi* diario relato, in quo potius auctus observatus est.

k) Sitis fere ubique permagna, quae interdum vix deleri potuerit, ut in *Schmidtmannii* aegroto, et in illo, qui crebrius permagnamque urinae copiam edebat et in historia ultima cuius mentio facta est.

l) Lingua varia occurrit, mox humida, pura, rubida, mox albida obtecta, mox sicca mucoque albido obducta, uti illa a *Schmidtmanno* et *Völkero*, haec a *Nassio*, *Ruffio* et

31)
32)
33) } loc. citat.
34)
35)

in aegroto historiae nostrae primae, in secunda autem semper pura et normalis observata.

m) Tussis a quibusdam observatoribus etiam memoratur v. g. ab *Erdmanno*, a *Stollio*, *Rufsio*, *Merkio* in locis citatis. *Stollii* aegrotus simul blennorrhoea bronchiali et aegrotus historiae primae nostrae tussi magis rariori et sicca laboravit. Quod symptoma a reliquis scriptoribus neutiquam memoratur.

n) Febris in omnibus, sed minime eodem in gradu adfuit.

o) Pulsus etiam idem non fuit: memoratur frequens, plenus, duriusculus a *Schmidtmanno* [36]); debilis, in caeteris normalis ab *Erdmanno* [37]); celer a *Stollio* [38]); celer, parvus, debilis a *Baldingero* [39]); plenus et frequens a *Nassio* [40]) et *Rufio* [41]); celer et parvus a *Merkio* [42]); celer et irregularis in historia secunda; durus, plenus et tardus in quarta nostra.

---

36) Huf. Journ. 7. B. 4. St. p. 24.

37) Horns Archiv 6. B. 2. Heft p. 335.

38) Ratio med. Sect. III. p. 358.

39) Neues Magazin l. l. p. 540.

40) Leichenöffnung l. l. p. 124.

41) Huf. Journ. l. c. p. 91.

42) Blumenb. mediz. Biblioth. l. l. p. 537.

p) Respiratio pariter in casibus allatis non fuit eadem status normalis. Accelerata, anxia reperta est a *Schmidtmanno*, initio normalis, sed postea strepitans a *Stollio*, citata anxia a *Nassio*, in reliquis casibus omnino neglecta.

q) Cutis omnibus fere magis sicca quam humida fuit.

r) In multis aegrotis oedema et frigus pedum: v. g. oedema pedum, praecipue pedis sinistri observavit *Nasse*. *Baldinger* aegroti sui pedes ita frigidos semper fuisse enarrat, ut per magnum ipsum caloris gradum non sensissent. *Schmidtmann* crura et pedes, dextrum magis quam sinistrum, ad abdomen usque maxime tumidum et durum reperit; ita ut fossae impressione digitorum factae longe remanerent.

In historia tertia et quarta nostra etiam pedum et surarum tumor oedematosus memoratus est.

Ab aliis de hoc morbo auctoribus oedema pedum non esse animadversum videtur.

s) Quod denique attinet ad alvum, in nullo casu regularis, sed aut obstructio, aut faeces tenues aquosae adfuerunt. Diarrhoea, etsi absque vix observato malo odore laboravit *Nassii* aegrotus. — Alvi excretio conditio-

nis normalis nonnisi interdum tardior, quam in statu normali commemorata est ab *Erdmanno*; obstructio saepe per tres et plures dies perdurans a *Schmidtmanno*, mox vero mutata specie externa in excretionem albidam, gelatinosam, partim subflavam, puriformem in mucum cum ea coniunctum, in verum ipsum pus sine faecibus, aut cum cibis non coctis commixtum, saepe etiam cum faecibus et ciborum non commutatorum reliquiis. Alvus in generali autem per horas viginti quatuor mox sexies, octies, decies et pluries, mox rarius exonerata est. Aegrotus in historia quarta nostra citatus haud raro quinque et sex dies alvi obstructione laboravit.

CAPUT II.

Causae occasionales.

Quoad causas, exhibita sunt haec: febrem intermittentem in iuventute aggressam aliquid ad huius morbi ortum contulisse opinatur Dr. *Völker*; porro mentionem facit dispositionis arthriticae, lapsus de equo, perpetuae post hunc cubandi in latere dextro consuetudinis, macrorum praeprimis in bellis rhenanis (fuerat

enim miles) nutrimentorum, dolorisque capitis subito fomentis frigidis repulsi. Prof. *Erdmann* causas occasionales accusat: cum vitam sedentariam, tum saltationem immoderatam; porro nutrimenta exigua, strophii angusti usum et omne immodicum vitae genus.

Causarum mechanicarum acum adnotat *Morgagni* [43]), Cl. *Nasse* refrigerationem causam exhibet. *Baldinger* commemorat aegrotum litterarum studiosum multum sedisse et neglectis motibus necessariis, porro febre intermittente quartana correptum fuisse, exinde autem semper vomitu et syncope laborasse. Accusat *Ruff*, aegrotum ex vita activa ad otiosam transiisse, et refrigerationi se exposuisse. *Ruyschii* [44]) aegrotus cerevisiae amantissimus fuit. Memorat *Merkius* [45]) in aegroto suo, cuius renes exulceratione correpti erant, nil nisi affectiones rheumaticas et hystericas antecessisse. At *D. v. L.* [46]) in milite invalido,

43) De sedibus et causis morborum, Epist. XLII. p. 25.

44) Opera omnia anat. med. chirurg. Observ. XIII. p. 14.

45) Blumenbachs med. Biblioth. 1. B. p. 531.

46) Huf. Journ. 1. B. 1. St. p. 113.

prae ceteris caseo putrido et spiritu frumenti frui solito, renum morbum oriri vidit. Aegrotam feminam memorat *Morgagni* [47]) saepius paruisse et abortum fecisse, nec non affectionibus spasticis laborasse.

In anamnesi historiae morbi primae exhibitum est, multo maiores, refrigerationes crebriores, febrem nervosam, pedum ulcera festinanter sanata, mox iterum sponte aperta et denique scabiem antecessisse. In morbo historiae secundae scabies, onania et status scrofulosus adhuc perdurans nobis occurrerunt. Historiae tertiae aegrotus auriga fuit, qui vitam dissolutam degerat, praecipue vino deditus. In historia quarta aegrota multis laboribus, imprimis dorsi musculis intensis, fuit adstricta.

Ex quibus omnibus itaque apparet, has affectiones renum non solum ex causis mechanicis, sed etiam ex dynamicis oriri posse, et quidem quoad causas dynamicas hae enumerari possunt:

1) Arthritis, Rheumatismus, nutrimentorum vitia.

---

47) De sedibus et sausis morb. Epist. XL. — 19.

2) Refrigeratio, vita sedentaria, febris intermittens, vitae ratio commutata, febris nervosa, ulcera pedum, scabies, onania, scrofulosis, cet.

3) Cerevisiae potus immodicus, spirituosa nimis sumta, caseus putridus.

Attamen et calculi renales, haemorrhoides, metastases hoc malum verisimiliter haud raro producunt, ut v. g. in aegroto, cuius capitis dolores, fomentis frigidis depulsi erant, nec non in ulceribus pedum, in scabie et haemorrhoidibus festinanter sanatis sive retropulsis et oppressis.

Quae causae omnes igitur renum exulcerationem, nephritis acuta etsi ubique perspicue exhibita non antecesserit, producere possunt; ita ut suppuratio potius inflammatione chronica, tarde progrediente excitata esse videtur: quod et casus memorati manifesto exhibent. In alio enim aegroto symptoma, quod in alio manifesto observatum est, defuit; et nihilominus cadaverum sectio, uti expositio data probat, similem omnino rerum conditionem patefecit.

CAPUT III.

Diagnosis morbi orientis.

Renum morbi, uti satis constat, prae caeteris lento gradu incedunt atque oriuntur: quod et pluribus supra relatis casibus denuo comprobatur. Prae caeteris in occulto repunt atque clandestine vitae interitum parant, nec a medicis agnoscuntur, nisi dum artis auxilio coerceri haud amplius possunt.

Quam difficile autem utique sit, de diagnosi orientis renum morbi aliquid certi proferre, uti attentione necessaria haud neglecta in dilucidatione aliorum et gravissimorum nec minus periculosorum morborum licet; tamen ex casibus a me exhibitis aliisque cum iis comparatis conclusionem fieri, et quidem affectionem talem renum ex insequente rerum conditione atque nexu diagnosci posse opinor:

a) Ex nephritide praegressa; post quam, et licet optime sit soluta, quodvis et levissimi momenti symptoma, praesertim autem omnis dolor obtusus, omnia febris lentae indicia, nec non quaevis mingendi difficultas et molestia cautissime exstant respicienda. Renes quum insigni sanguinis impetu gaudent, eorum in-

flammatio chronica, ut iam supra est memoratum, praesertim et proh dolor absque metu et praesagio aegroti et medici in suppurationem tendit.

Quo magis itaque symptomata illa observantur, et certius talis transitus suspici liceat.

b) Ex singulari aliquo etsi plerumque leviore dolore, saepius his in morbis observato, quippe qui in regione renali sentiri solet, attamen haud raro etiam plus minusve locum ab illa distantem obtinet. Qui dolor ita, ut iam supra memoravi, mox extensus, mox circumscriptus observatur, mox regionem lumbalem, mox magis superiorem quam inferiorem abdominis partem, praecipue hypochondria, aut regionem umbilicalem, aut inguinalem, aut denique etiam altiorem dorsi locum occupat, et ab uno aegroto digitis imprimentibus, in alio nonnisi in alvi excretione aut deorsum inclinando sentiebatur.

c) Ex dolore in urina reddenda, etsi variis in locis vario, scilicet tam dysuriae, quam stranguriae et ischuriae in forma incedente.

d) Ex urinae excretione tam, quoad radii crassitudinem quam ad quantitatem genera-

lem minuta, nec non ex urina saepius, sed perpetuo minoribus in quantitatibus reddita.

e) Et ex urinae qualitate a statu normali decedente, et quidem tam vario modo, ut singularis exhiberi nequeat, cum modo pallida, modo clara, modo ex rubido-fusca, modo turbida sit animadversa.

f) Ex tumore regionis renalis, qui et caeteris enumeratis symptomatibus accedentibus, profecto gravioris habendus est momenti.

Quod vero symptoma haud raro requiritur, nec nisi renum morbus altiorem iam adtigerit gradum, adesse solet.

g) Ex vomitu, plerumque iam morbi initio observato.

h) Ex capitis dolore, qui utique multis aliis in morbis adest, et hic non raro observatur.

i) Ex site magna, qui in omnibus huiusmodi morbis non deest, porro ex appetitu deficiente, ex febre et pulsu irregulari, plerumque accelerato, ex cute plerumque sicca, nec non ex alvi obstructione.

THESES.

1.

Diabetes mellitus hucusque insanabilis est morbus.

2.

Dolor inflammationis sedi non semper respondet.

3.

Urina in morborum diagnosi maxime valet.

4.

Organa pectoris prae illis abdominis ad inflammationem prona sunt.

5.

Differentia, vulgari usu recepta inter pleuritidem et peripneumoniam, locum habet.

6.

Medico forensi nunquam licet, cadaverum iam putredine correptorum obductionem repudiare.

7.

Caries ossium amputationem non indicat.

8.

Amputatio cum binis lobulis relictis praeferenda est amputationi circulari.

9.

Forcipis vis in partu magis dynamica, quam mechanica est.

CURRICULUM VITAE

GUILELMI DEUBEL.

Wiehlae in dominatu Homburg ad Marchiam sito natus sum 8va ante Calendas Martii die anni MDCCCmi. Parentes optimos, divina gratia et clementia sospites adhuc incolumesque veneror Ioann. Guil. Deubel, chirurgum provincialem, et Annam Magdalenam, e gente Koremacher. Vernaculae linguae et latinae elementa Magistro Simons, gallicae autem praeceptori Weber debeo, qui ab ineunte aetate me instruxerunt. Privatim deinde geographiae, historiae, physicae, nec non mathematicae ab informatore dilectissimo Kind institutus sum. Solidiori denique imbutus sum doctrina, cum dominus admodum reverendus Schnabel, verbi divini minister, ingenii vir doctissimi, omnes illas litteras, praesertim autem latinas me docuerit. Cui pro eximia erga me benevolentia et amicitia in aeternum obstringor. Etiam filii eius amantissimi, theologiae tunc candidati eruditissimi nomen, qui historiam praecipue et linguam graecam per plures mihi tradidit annos, quem autem praemature et morte subita exstinctum lugemus, — quamdiu supererit in me habitus, grato prosecuturus sum animo.

Tali modo praeparatus et ad medicinae studium maxime propensus, almam rhenanam, quae Bonnae floret, academiam petii, ut desiderium meum explerem. Anno MDCCCXIXmo tempore auctumnali in numerum universitatis civium receptus, Rectore Magnifico Augusti albo universitatis adscriptus, apud Cel. Harlefs, illo tempore asclepiadei ordinis decanum, nomen professus sum artis salutiferae studiosus. Per quatuor annos et dimidium (unum nempe semestrium domi absumsi studiorum reiterandorum causa) hic interfui praelectionibus Cl. van Calker de encyclopaedia et methodologia philosophiae, de

logica, psychologia, aesthetica et metaphysica; Cl. Diesterweg de mathesi. Historiam mammalium aviumque naturalem, mineralogiam et zoologiam Cl. Goldfuſs mihi tradidit. Botanices doctor mihi fuit Cl. Nees ab Esenbeck; physices et chemiae Cl. Kastner. Medicinae historiam Cl. Windischmann mihi narravit. Porro prosectoris experientissimi Doctoris Weber praelectiones frequentavi de osteologia et syndesmologia, it. collegium de anatome repetitorium et examinatorium; quem etiam in cadavera secandi arte moderatorem habui. De histologia, anatomia, physiologia hominis et foetus humani Cl. Mayer audivi docentem. Pathologiam generalem, materiem medicam et therapiae specialioris partem me docuit Ill. Harleſs; medicinam forensem et artem medicas concinnandi formulas Cl. Bischoff.

Informavit me Cl. Nasse therapia generaliori, animi pathemasi et therapia speciali; nec non eo duce per anni dimidium auscultando et per integrum annum curationi aegrotorum incumbens frequentavi clinicum medicum. Non defui consiliarii medici Ill. a Walther praelectionibus de chirurgia, de ophthalmologia, de morbis ossium, de operationibus chirurgicis instituendis, de cognitione instrumentorum, de fasciis chirurgicis diligandis; et eo dirigente per semestre exercitationibus clinicis auscultando et per annum praxin chirurgicam et ophthalmiatricam exercendo navavi operas. De utraque artis obstetriciae parte et casibus raro obvenientibus obstetriciis praelectionibus Cl. Stein interfui, cuius auspiciis etiam per annum laboribus practicis in xenodochio obstetricio operatus sum.

Omnibus praeceptoribus et singulis quibuscunque summopere de me meritis, magna pietate venerandis, maximas, quas possum, habeo gratias nullumque eorum unquam de me meritorum tempus extinguet memoriam.